

MODLITWY,

które na mocy dekretu: „Urbis et Orbis“ S. R. C. d. d. 10 Decembris 1883, po skończonéj mszy świętéj cichéj,

klęcząc odmawiać należy.

(300 dni odpustu).

Tr. Zdrowaś Maryja (wspólnie z ludem i Antyfonę).

Witaj Królowo! Matko Miłosierdzia! Życie, Słodkości i Nadziejo nasza, witaj! Do Ciebie wołamy wygnańcy, synowie Ewy. Do Ciebie wzdychamy jęczący i płaczący na tym padole płaczu. Hejże więc! Orędowniczko nasza! one Twoje miłosierne oczy obróć na nas. A Jezusa, błogosławiony owoc żywota Twego, po tym wygnaniu, racz nam okazać. O łaskawa! O litościwa! O słodka Panno Maryjo!

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiae tuae precibus, et praesta: ut intercedente gloriosa et Immaculata Virgine Dei Genitrice Maria, beato Josepho, ac beatis Apostolis Tuis Petro et Paulo, et omnibus Sanctis, quod in praesentibus necessitatibus humiliter petimus, efficaciter consequamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ***R. Amen.***

Nr. 2057.

IMPRIMATUR:

Cracoviae, d. 9 Juli 1884.

† **Albinus.**



MISSA
PRETIOSISSIMI SANGUINIS
D. N. JESU CHRISTI
Feria II. post Dominicam SS. TRINITATIS

Ex concessione SS. D. N. Papæ PII VI. die 21. Julii 1777. recit. in omnibus hæred. Regn. & Provinc. August. Domus Austr.

Introitus.

REdemisti nos Domine in Sanguine tuo ex omni Tribu, & Lingua, & Populo, & Natione: & fecisti nos Deo nostro Regnum. *Psalm*: 88. Misericordias Domini in æternum cantabo: in generationem & generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

℣. Gloria Patri, &c.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Unigenitum Filium tuum mundi Redemptorem constituisti, ac ejus Sanguine placari voluisti: concede, quæsumus, salutis nostræ pretium solemni cultu ita venerari, atque a præsentis vitæ malis, ejus virtute defendi in terris, ut fructu perpetuo lætemur in cœlis: Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus, &c.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Hebræos. *Hebr. 9. c.*

FRatres: Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis: neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna Redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? Et ideo novi testamenti mediator est: ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hereditatis, in Christo Jesu Domino nostro.

Graduale.

Hic est qui venit per aquam & sanguinem Jesus Christus: Non in aqua solum, sed in aqua & sanguine. ℣. Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua & sanguis: & hi tres unum sunt.

Alleluja, alleluja. ℣. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est. Alleluja.

Tempore Paschali, in Missis Votivis dicitur.: Alleluja, alleluja.

℣. Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in Sanguine tuo. Alleluja.

℣. Erit autem Sanguis vobis in signum, & videbo Sanguinem, & transibo vos: Nec erit in vobis plaga disperdens. Alleluja.

A Septuagesima in Missis Votivis dicitur. Graduale.

Hic est, qui venit per aquam & sanguinem Jesus Christus: non in aqua solum; sed in aqua & Sanguine. ℣. Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo. Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & Sanguis: & hi tres unum sunt.

Tractus.

Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo in quo habemus Redemptionem per Sanguinem ejus. ℣. Remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis.

℣. Justificati gratis per gratiam ipsius, per Redemptionem, quæ est in Christo Jesu.

℣. Quem proposuit Deus, propitiationem per fidem in Sanguine ipsius.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. *Joann: 19.*

IN illo tempore: Cum accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit Spiritum. Judæi ergo (quoniam Parasceve erat) ut non remanerent in Cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium ejus. Credo.

Offertorium.

Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?

Secreta.

PEr hæc divina mysteria ad novi, quæsumus, testamenti mediatorem Jesum accedamus: & super Altaria tua Domine virtutum, aspersionem Sanguinis melius loquentem quam Abel, innovemus. Per eumdem Dominum

Præfatio de Cruce.

Communio.

Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: secundo sine peccato apparebit omnibus expectantibus in salutem.

Postcommunio.

AD sacram, Domine, mensam admissi, hausimus aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, Sanguis ejus fiat nobis, quæsumus, fons aquæ in vitam æternam salientis: Qui tecum vivit & regnat, &c.





